



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

II. Secreto delicto secreta debetur poenitentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

forte fuit homicidium subsecutum, satis dure & aspere, sed non ita seuerè sunt puniendi: nisi forte ipsum regem ad illud homicidium prouocassent. Illi quoque non fuerunt a culpa liberi, nec a reatu debent esse immunes, qui licet fuerint iniquæ machinationis ignari, sicariis tamen, si eos sicarios esse sciebant, vel in sarcinis, vel in armis eorum custodiendis ministerium præbuerunt. Illos vero, qui dicuntur illius viri sancti & suorum per mortem occupasse spolia, si nihil aliud in tanto facinore commiserint, a pœna mortis eius arbitramur immunes: sed hæc quæ occupauerunt, tenentur eis in integrum restituere, quibus ablata fuerunt, si habeant in facultatibus, vnde ea reddere possint: & ipsis tamen ex \* hinc pœnitentia moderata est in-<sup>hoc</sup> iungenda, quia licet ex his quæ occupauerunt quædam facerentur se pauperibus in eleemosynam erogasse, non tamen alienas res, cum ipsas potuissent eis restituere quorum fuerint, debuerunt pauperibus erogare. Illi vero qui sola excommunicatorum participatione se reos esse cognoscunt, considerata temporis qualitate, quo in eadem nequitia perdurauerint ignoranter, & inquisito etiam, si amore vel affectione communicauerint ignoranter vel scienter, secundum hoc pœnitentia est indicenda. Clericos vero, quos constat armatos esse & interfuisse tanto facinori, & clericos etiam illos qui consilium istud dederunt, vel vt sanctus vir caperetur: perpetuo non solum ab altaris officio deponendos esse censemus, sed etiam ita, vt in ecclesiis nullo vnquam tempore lectiones legant, nec responsoria seu antiphonas cantare in choro, sed in psalmis apud Dominum de commisso veniam fatagant implorare. Insuper clerici etiam ipsi in obstructo claustro monachorum vel canonicorum, si fieri potest, sunt includendi, ita quidem, quod ipsi in septennium seu quinquennium debeant ab introitu ecclesiarum cohiberi.

CAP. II. *Idem eidem.*

Ex tuæ fraternitatis literis & confessione sacerdotis præsentium latoris accepimus, quod cum eum ad sacerdotii ordinem assumendum non aliter voluisset eius archidiaconus præsentare, quinque solidos eidem archidiacono soluit, & sic postmodum ordinem istum, per eum præsentare



ANNO  
 CHRISTI  
 1179.

tus, accepit. Vnde super eo de quo consilium nostrum postulasti, sic duximus respondendum, vt si hoc non est publicum, sed secretum, eundem sacerdotem secreto conuenias, monens eum, sine vlla tamen coactione, propensius & inducens, vt ordinem alicuius religionis assumat, & perpetuo ab officio, quod ita illicite acquisiuit, abstineat. Si vero ad religionis ordinem assumendum forte inducere non poteris, studeas ei ad sustentationem aliquod ecclesiasticum beneficium constituere, ad hoc, vt debeat officio sacerdotali sponte in perpetuum abstinere, alioquin non erit tutum, cum sit secretus excessus, ipsum inuitum ab eodem officio coercere. Sed tamen poenitentiam secretam secundum quod tibi visum fuerit, iniungere non postponas.

C A P. III. *Idem eidem.*

De peregrinationis votis, an eleemosynis redimi possint, vel per alium pro necessitate adimpleri, tibi respondemus, quod ab eius qui præsudet, dependet arbitrio, vt consideret diligentius & attendat qualitatem personæ & causam commigrationis, seu id ex infirmitate, siue affluentia contingat diuitiarum: & vtrum peregrinatio, an recompensatio vtilior fuerit, & Deo magis accepta, & secundum hoc debet exinde dispensare.

Pars capituli, Memimus.

C A P. IV. *Idem archiepiscopo Cantuariensi.*

Quod autem consuluisti, vtrum remissiones, quæ fiunt in ecclesiarum dedicationibus, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quam his qui remittentibus subsunt: hoc tuam discretionem volumus firmiter tenere, quod cum a non suo iudice nullus ligari valeat vel absolui, remissiones prædictas illis prodesse tantummodo arbitramur, quibus vt prodesse, pastores proprii specialiter indulserunt: & in hoc intelligas eam quæstionem solutam, in qua quæritur, vtrum is qui excommunicato communicat, a non suo episcopo absolutionis gratiam debeat implorare.